

HIERONYMI PRÆFATIO.

in Marco plura Lucæ atq; Matthæi; rursus in Matthæo plura Ioannis & Marci: & in cæteris reliquorum, quæ alijs propria sunt, inueniantur. Cum itaq; canones legeris qui subiecti sunt, confusionis errore sublato, & similia omnium scies, & singulis sua quæque restitues. In canone primo concordant quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. In secundo tres, Matthæus, Marcus, Lucas. In tertio tres, Matthæus, Lucas, Ioannes. In quarto tres, Matthæus, Marcus, Ioānes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In sexto duo, Matthæus, Marcus. In septimo duo, Matthæus, Ioannes. In octauo duo, Lucas, Marcus. In nono duo, Lucas, Ioannes. In decimo, propria quique quæ non habentur in alijs, ædiderunt. Singulis uero euangelijs ab uno incipiens usq; ad finem librorum, dispar numerus accrescit. Hic nigro colore præscriptus, sub se habet alium discolorem numerum, qui ad decem usq; procedens, indicat, prior numerus in quo sit canone requirendus. Cum ergo aperto codice (uerbi gratia) illud siue illud capitulum scire uoueris, cuius canonis sit, statim ex subiecto numero doceberis: & recurrens ad principia, in quibus canonum est distincta congeries: eodemq; statim canone ex titulo frontis inuento, illum quem quærebas numerum, eiusdem euangelistæ, qui & ipse ex inscriptione signatur, inuenies: atq; è uicino cæterorum tramitibus inspectis, quos numeros è regione habeant, annotabis: cum scieris, recurre ad uolumina singulorum: & sine mora reperitis numeris, quos ante signaueras, reperies & loca in quibus uel eadem uel uicina dixerunt.

Sciendum tamen ne quis ignarum ex similitudine numerorum error inuoluat: quod tibi in subnotatione canonum distinctorum in canone quolibet tres euangelistæ bis, ter, uel quater, aut etiam amplius eundem numerum per ordinem habuerint annotatum, & quartus e contrario discrepantes: quod id tres illi in eo loco semel dixerint, quartus toties in corpore uoluminis sui ponat, quoties diuersi numeri in eius canone positi stant, contra prædictorum numerorum continuatas similitudines. Item si in uno quolibet eorum, aut etiam duobus, idem in canone numerus bis, ter, & quater, aut eo amplius reperiat in ordine collocatus, & dispare inueniantur in cæteris: dubium non erit, quin id quod illius illorumue canonis numerus bis terq; repetitum ab his in uolumine semel dictum esse ostendit: alter alteriue eorum toties uno atque eodem sensu loquantur, quoties prætulerint in numerorum annotatione distantiam. Et hoc in omnium nouem canonum collatione seruabitur. Cæterum in decimo (quoniam propria singulorum tantummodo continentur) non potest contra id comparatio esse quod solum est. Opto ut in Christo ualeas, & memineris mei Papa beatissime,

Canon